

per ipsum a uobis interpositis, uel aliis eius iuribus sibi conpetentibus uel in posterum conpetituris, sed eis potius in quantum de iure potest expressius inherendo, in hiis scriptis a uobis et uestra curia et grauaminibus supradictis prouocat et appellat ad sanctissimum in Christo patrem et dominum dominum Benedictum XII seu, si uacaret sedes apostolica, ad sacrum eius collegium cunctis iniuste oppressis in iusticia liberale, petens a uobis appellatos cum instancia sibi tradi. Et iterum cum instancia petens eos, et tociens ipsos petens, quociens ubi et quando sibi dignoscitur expedire, submittens ex nunc se et procuratores suos, iura episcopatus sui ac sua realia et personalia protectioni tutele et defensionis ipsius summi nostri pontificis uel eius uacante sede sacri collegii ad quod ut premittitur ipse prouocat et appellat, inibens insuper uobis, auctoritate sedis apostolice supradicte, sub penis contra tales a iure statutis, ne, hac sua appellatione pendente, debeatis contra ipsum episcopum seu eius procuratorem bona episcopatus sui et iura sua personalia et realia ex nunc per uos uel alium aliquid innouare, uel etiam attemptare, cum paratus sit per se uel eius procuratorem legitimum, presentem eius appellationem prosequi insimul et finire infra tempus a iuribus adinuentum, protestans ex nunc contra uos et uestram curiam ac partem ut premittitur sibi aduersam de expensis, dampnis, incomodis et cuiuslibet generis interesse, factis in predictis, occurrentibus ex predictis, uel insorgentibus ex singulis premissorum, protestans etiam in hiis scriptis de fiendis in posterum ac de causa circha omnia et syngula premissorum petenda et imploranda per ipsum coram conpetenti iudice locis et temporibus opportunis.

Cui quidem protestationi seu appellationi idem dominus archiepiscopus breuiter respondit, quod contenta in predicta protestatione uera non erant, eo quod iuxta sententiam suam pro eodem debito Marci de Molino, quantitatem ipsius debiti nunquam persoluit nec curat persoluere, dando uerba et non facta, cum ipse dominus archiepiscopus paratus fuit et est eidem absolutionem dare super excommunicatione quam incurrit, si ipsum dominum archiepiscopum et partem aduersam idem episcopus de satisfactione ipsius debiti asecuraret, prout de iure tenetur, paratus ibidem recipere idem dominus archiepiscopus et procurator ipsius Marci solutionem uel securitatem conuenientem debiti memorati et sibi absolutionis beneficium impartiri, licet appellationi sue friuule et inane non intendat aliququaliter deferre sicut nec debet de iure, propter eius duriciam, inobedienciam et contumacias manifestas. Appellatos tamen refutationis ad informationem sedis sancte eiusdem infra tempus a iure statutum eidem episcopo uoluit assignare, monens ipsum episcopum et caritate fraterna exortans, coram eo personaliter constitutum, ut, satisfactione premissa, sue anime deberet conpati ac sue ecclesie desolate nec non